



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola IX. Francisco Mansillæ in Commorinum eunti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

58 S. FRANCISCI XAVERII  
Valete. Vlyssipone xv. Kal. Apriles Anno  
CICIOXLI.

Nomine Cunctorum hinc vobis Carissimo-  
rum Fratrum

*Franciscus de Xavier.*

EPISTOLA IX.

Francisco Manfillæ in Commorinum  
eunti.

*Gratia & Amor Domini Nostri IESV Christi  
ad sit nobis semper auxilio & fa-  
vore. Amen.*

**C**arissime Frater : multum cupio scire  
quid agatis. quare oro te, per amo-  
rem IESV Christi, doce me accurati otiose  
scriptis literis, de omnibus quæ te, quæ so-  
cios isthic tuos quoquo modo spectant. quan-  
do pervenero Manaparem, disces statim meis  
inde ad Te literis. Fac memineris manda-  
torum, quæ perscripta dedi tibi à me di-  
gredienti, & Deum ora ut multâ te corro-  
boret patientiâ, necessariâ in primis ad tra-  
ctan-

NOVARVM EPIST. Lib. I. 59

Etandum cum istâ gente . Sic tecum reputa ,  
 quasi Purgatorium isthic tuum fit , in quo  
 jam hinc noxarum tuarum pœnas luas . &  
 agnosce non vulgare Dei beneficium , in-  
 dulgentis tibi , ut vivens spiransque summo  
 gratiæ quæstu , æumnâ multò minore , pec-  
 cata juventutis expies . Dices Ioanni de Ar-  
 tiaga : significasse mihi per literas Præfe-  
 ctum , se ipsi numerasse decem Pardaos im-  
 putandos rationibus meis : rescripsisse autem  
 me Præfecto : nec vos , nec Ioannem Artia-  
 gam , nec me , pecuniâ egere ante ejus ex orâ  
 Piscariæ adventum : ideoque meo jussu Artia-  
 gam , istos ei nummos redditurum . quod  
 eum à me jube facere . nisi fortè summa  
 ista non donatur , sed solvitur , ad nostrum  
 aliunde jus pertinens ; cujus suspicandi cau-  
 sam habeo nonnullam . Subaudi enim ,  
 Prætorem , qui nobis Regis jussu ad victum  
 & usum cæterum necessaria suppeditat , cu-  
 rasse istuc Præfecto Syngrapham Collybisti-  
 cam decem Pardaorum , unde nobis emeret  
 Interpretem . Fieri posset ut Is , quoniam  
 emptionis fortè istius nec facultas præsens ,  
 nec propinqua spes opportunitatis appare-  
 ret , ne in manu suâ confenesceret aliena-  
 res , redhibere illis cuja sciebat esse , matu-  
 rave-

60 S. FRANCISCI XAVERII  
raverit. si hoc ita est, retineatur sanè; sin-  
aliter se res habet, suum utique argentum  
Præfecto renumeretur. Idque sine morâ exe-  
qui Artiagam volo. Vobis tantum Cœlestis  
gratiæ ad inserviendum Deo, quantum ipsi  
mihi opto ac precor. Valet. Punicali 19. Kal.  
Martias An. CIOICXLIV.

Non scribo Ioanni Artiagæ quoniam  
hæc una tibi & illi communis isthuc destina-  
tur Epistola.

Vester Amantissimus Frater

*Franciscus.*

EPISTOLA X.

EIDEM.

**C**arissime in Christo Frater: Multum  
me recrearunt tuæ literæ. Etiam at-  
que etiam oro te: sic agas cum istâ homi-  
num facie, ut boni Patres solent, cum ma-  
lis Filijs. ne animo frangaris quantumvis  
multa sint quæ vides ab ijs pravè ac scelera-  
tè fieri. nam Deus ipse quem tam graviter  
offen-